



DIALOGVS

HIERONYMI CARDANI,
ET FACII CARDANI,
IPSIVS PATRIS.



Et quam iniqua sum conditio-
ne inter mortales ! erepto per
iniuriam profitendi munere tam
utili quam honesto : ac simul
edendi libris facultate: aded vt
compulsus sim hac ætate qua alij interquies-
cere solent Romam venire inter medicos hos,
quorum maiores nec Galenus ipse sustinere
potuit : nullis cum redivitibus, à descendentibus
meis destitutus , parum constanti valetudine
ac fide domesticorum atque amicorum , vt
dicere possim cum cæco illo.

*Quis errantem Oedipum
Paruis excipiet donis ?*

At ille multo minus miser, qui multam pro-
blem reliquit ; & filios reges: & miseras per-
ferebat non per iniuriam illatas: nec cuiquam
alteri, aut à casu, verum quas sibi intulisset
acceptas. Quis ergo mortalium miserior ! aut
quid agam ! Facius : Quid eiulas stulte ? H.
Heu quoniam etiam à Demonis agitator. Fac.
Non ego Dæmon, sed Amicus , & amicorum
optimus. Pater tuus olim, & nunc sordido
(vt scis) iam diu corporis velo exutus , Fa-
cius Cardanus. H. ô pater bene tibi sit : Mi-
serere filij tui vnici, & illum adiuvare si potes,
aut consilio vales, tempore enim opportuno
aduenis. Fac: Non es aded vt quereris miser :
sed tu te potius miserum facis. H. Omit-
tam quæ dum solum me esse putarem (nam
non magis quam olim , eo somnio te video)
audisse reor id maximum, vt nec hic manere
nec recedere possum : vel tuto vel honeste
aut commodè Fac: Opportune meministi eius
somniaj : nam si rectè animadvertis nunc tem-
pus est quo ad lunæ cælum peruenisti. Le-
geras enim apud Beatum heri quam primum
hæc de illo : Sicut & inter substantias pro-
fus separatas vltimum gradum obtinuit lu-
naris intellectus : qui propter maximum à
primo recessum (licet per semet ipsum se co-
gnoscat) imperfectius tamen atque obtusius
se ipsum intelligit quam ceteri se aut alios.
Noster autem quoniam etiam plus recedit
à Primo quam lunaris non intelligit se ipsum
per se met : sed per alia, dum illa cognoscit;
multo minus ergo & alios, siquidem nec per
illos, nec per se met cum se ipsum intelli-
gere sic non valeat. Alios quidem non per se,
cum materiarius separatos à materia profus
recipere non valeat. Solum ergo per analogi-
am quandam seu proportionem, seu simi-
litudinem interpreteris, illos intelligit : at-

Tom. I.

que de his autem communia tantum : velut
quod entia, substantiæ actus ve sint : aut
(vt dicunt) negatiuè : scilicet quod materia
careant, nec sensu percipi possint. Ergo ta-
lia cognoscit, velut exemplo deducto à sensi-
libus separandi illa atque imaginando : sunt
enim sensibus exactè cognita quæ adherent
maximè loco (velut animali corpus & actio-
nes) at intellectibus diuinis quæ adherent
corpora neque magnitudine (nec forsan mo-
tu) cognita vnquam fuere : nec in poste-
rum vnquam cognoscuntur. Quanto minus
substantia orbium intelligi poterit ? Cum er-
go nec per se, cum sint separati, nec per
sua corpora, quæ nec magnitudine, sub-
stantia minus, intellectui nostro cognita
esse possint : nec ipsius nostri intellectus na-
tura ; qui se ipsum nisi per alia (nam vt
lunaris) intelligere potest, relinquitur, vt so-
lum per similitudinem quandam, & per
communiam aut quibus careat necesse sit, eos
intelligat : lunaris autem per se, semetipsum.
& quoniam vt primo iungitur ided & alios,
sed minus quam se ipsum (quamvis quo
primo propiores sunt eo magis intelligenter
ad nos se habeant) intelligit. Illud verò
quod de illis intelligit, licet minus sit com-
paratione eorum quæ intelliguntur, & ob-
scurius ; & quod de se intelligit lunaris in-
tellectus absolutius, clarius & perfectius
comparatione sui : simpliciter tamen maius
est, nobilius, clarius, & perfectius quod lu-
naris intellectus, intelligit de aliis intellectu-
bus, quam de semet ipso. Velut coniuuium in
coniuuium plus comedit & melius, quam si
omnia quæ domi habet ederet : non tamen
totum potest edere quod in coniuuium est.
totum autem quod domi habet comedere
potest. Annon hæc omnia apud illum pla-
ne præter exemplum legisti ? H. Sanè. hic ergo
dies pridie Nonas Aprilis anni M D L X X I V.
pro primo tibi ac quasi natali computan-
dus est. Vides quomodo ex lunari orbe à
singulis ad supremum ascenderit. Gaude
ergo quod interpretationem nactus sis som-
nij : & quod tempus aduenit. H. De quo
gaudere debeo ? Fac: Quod intelligas quam
speciali dono Deus te remunerauerit. Nam
ita sit : Quid tam durum aut acerbum pa-
ti potuisse, aut in posterum superuenire
queat quod non solum sponte sed libenter
non subeas, videns quantæ curæ illi fue-
ris : cum & alia multa id etiam attestentur,

H H h somnium

sonnium illud quod tu fatale soles appellare licet tam durum atque horrendum. Epistolarum in terram lapsum, quarum una erecta commigravit ad abaci pedes: alteri pulcritudinem erat dum scriberetur subditum: cum nec naturaliter latero, vel etiam scribi posset. Tonitru illud tam longum domui imminens. Et in fine tertiarum diei qua detentus fuisti strepitus ingens, in ostio primum carceris, & statim in fenestra quam sol tum illustrabat: Mox clatrata ferrea stridulus sonus quasi concussa: Quibus duobus ostentis vltimis interfuit Rodolfus Syluestrius medicus. H. vera sunt hæc omnia: sed quid boni: Imò hæc ipsa me sollicitum habent: & vt apud Poëtam:

--- Non me tua feruida terrent

Dista feror: Dy me terrent & Iuppiter hostis.

Hoc enim est tertium quod me magis angit quam amissum profectum munus & edendi libros potestas, quod die qua detentus sum (quod nunquam alias) his diuersis horis vno & eodem loco incidi in duas vacuas ad macellam de more, tot funibus, canibus, tantisque clamoribus agebant (vt quamvis nescias fortis meæ simul admirarer & timerem, & secundæ etiam ictus quibus concidit vel nolens audiui. Aliud fuit quod vltimo recitari. His duobus ostentis aded perturbatus sum vt semper timerim ne his destinerem, & prima vice, vt nunc, quasi in macello exitium expectans victus iacerem: alia aperte penas daret. Vnde timidior factus, non conscientia rei quæ nulla est, non potentia vlla humana, quamvis non ignorem sapientiam esse: non acerbitate inimicorum quamquam maxima, sed hoc ipso tantum detineor, vt me nullatenus explicare valeam. Idque doleo quod quæ mihi diuum metu contingunt, illi meæ ignauitæ aut suis vexationibus tribuant. Ergo vt ad rem redeam. Illud me male habet quod nunquam causam illorum prodigiorum verisimilem inuenire poterim, nec alium audiui qui me eam doceret, consulto enim pluribus enarratam, vt si modum quisquam excogitare posset tam anxie cura liberarer. Quamvis haud lateret hanc enarrationem mihi esse dedecori, vt qui vel instantiæ causâ ipsa confingerem: aut quod leuis & insulsus vel superstitiosus haberer: at magnitudo periculi: & metus maiorum impendentium, nec non multitudo malorum quibus premor effectit vt omnia posthaberem salutem meorum meique, tum securitati propriæ: Itaque si quid habes Patre, in hoc tam magno dolore explica, nam seruaueris filium: Cæteris enim Deo dante tum & si multis ac magnis ego occurram. Sed vt facilis id agere possis scito non me latere eiusmodi ostenta bifariam nobis contingere: alia quidem vt præsentia futurorum: alia vt imminentium nos admonentia, doceant efugiendi viam: sub quo sine vt huiusque expertus sum potius puto interpretanda. Nam nisi ob hoc occultior redditis essem partim ob meam impericiam partim aliorum temeraria aut maligna consilia, sanditus forem euerfus Fac. Dicam libenter: sed duorum te aduocatum velim: primam quod non est

magnum ij existimant esse, qui nihil aliud maius fore putant, hi enim hæc postmodum quæ non esse putant inanes magis esse credunt, et tunc tu scias hæc ipsa vera esse, & tunc maxima, omnia illa somnia & umbras esse scis. Quod etiam præterita recolenti, luce ipsa clarius fit manifestum. Ergo quid discruciaris, tanquam si doleas videas puerum habere sacculum ossium cerasorum aut lapidum quibus ludere solent: tu autem illis carcas? Quid enim in hæc vita habere potes stabile aut magnum vel diuturnum, etiam simpliciter, quanto minus si compares alteri? Ergo illorum cætui infelici te infinnabis, vt erres, vt frustra doleas, vt habeas tantis laboribus & curis quæ inania sunt, & nulli vsui ad felicitatem? Quid est hic mundum, quid tutum? Quid diuturnum? Quid quod tempus non atterat? Quid quod quanto plus processeris eo melius fiat? opes per se crescunt, sed in senectute aliis voluntatem afferunt, tibi qui illis frui nequeas tristitiam. Quid ergo primum est in quo merito discrucioris? Alterum est vt antea totam historiam simul explicem: & finem ostendam vniuscuiusque, & rationem dignoscendorum animorum: sine quibus nec de modo procedendi, nec interpretatione futurorum, dicere quicquam saltem recte atque perfecte: nec esse concordem possumus: sine quo omne auxilium irritum fiet.

Incipiamus ergo ab opibus: quot sine culpa olim, & nunc, ex bellis vniuersis, spoliantur? Nostra ætate in Pannomia tot urbibus, & Cypro? audi illum Melibœum apud Virgiliū.

Post aliquot mea regna vident mirabor aristas

Impius hæc (tam culta noualia) miles habebis

Barbarus? hæc segetes? En quo discordia cinis.

Perduxit miser.

Tu verò culpa aliqua nihil amisisti, illa omnia nulla. H. non queor ablatas, sed nō esse ad sumptum, & ereptam reparandi facultatem. Fac: Si filij boni erunt, satis erit: si inepti, nec multo plures quam tu per tempus id comparare potuisses sufficerent. H. Omisso hanc curam, sed honor me angit, & quod libros edere prohibear. Quid cum videam tot me ipso inferiores in suggestis? Fac: An scis te moriturum? An speras te mortuo defuturos vel rudes, vel doctos viros qui profiteantur. H. Minime. Fac: Cur ergo aut non malis pro lucro quod aura hac fueris, computare, Nam ea ad vnguem ætate detentus es quæ est vltima sapientum. Dicebat enim Solon vitam hominis esse septuaginta annorum, eo enim anno Socrates & Thales obierunt, solus Hippocrates dicitur superasse vel vt diuicius miser viueret aut ad consolationem tot ærumnarum quas in senio passus est, nam & ipse priuatus omnibus bonis, & præterea in exilium actus & sententia capite damnatus obiit vt dicunt valde senex. Cæteri omnes antea perierunt, Aristoteles, Galenus, Halen, seu Auicenna, Pherecides, Pythagoras, Virgilius, Horatius.

Immodicus breuis est ætas, & rara senectus.

At tibi tu ipse non maioreta numerum annorum

annorum præscripteras ex astris. Manus delineatio non pollicebatur: non Physiognomia, non modus viuendi. Quod ad iniuriam attinet, si casu accidisses non doleres, quia à Deo factum exillimares: nunc cum ab hominibus doles, quasi non tam illis Deus imperare possit quam morbi causæ quæ te aut sustulit aut inutilem reddidit: Dicebant Cyrenaici voluptatem & dolorem esse tam in anima quam in corpore (quod & verum est, sed voluptatem in corpore maiorem esse, tristitiam in animo. Quoniam animus solitus sit in infinitum procedere & sua extendere. Et quæcumque obtulerit timor seu præteritorum memoria illis superaddens & causans & modum in immensum tristitiam auget. suæ ipsius vitæ breuitatem desinet, aliorum non solum vitam sed facta atque decreta immortalia fingit. Proponit iniurias, male dicta, suspiciones, obliuiscitur gratiæ, beneficiorum, indiciorum amoris, ex mulca facit (vt aiunt) elephantem. Itaque hoc non est nisi proprium malum. Magna res, si amissis morte vel morbo hæc omnia non doleres: neque tamen velles te mortuum potius quam in hoc statu esse. Dicis (nequid desit) illa fuisset communis conditio: Quare ergo non illam præponis? quare conuerteris quod viuas? At ergo voluisses viuere, & non pati, nec velles qui mortui sunt, iuste posse conuertere, tu vis posse magis iniuste cum viuas?

Reioca ergo te ad Palingenesiam: & dic. Superfuit iam tres anni cum dimidio ab eo quod sperabam à communi vitæ termino. Quod præterit est in tuto, quod expectatur, in desperatione non est nec esse potest. Superfuit tres descendentes, multi amici atque parentes, nomen magnum, scientia multarum rerum; libri cxxj. editi: cxj. edendi: tot arcana: Patrimonium plus quadruplo quam cum natus es maius. Quod stulti ponunt inter calamitosa, scilicet ætatem transactam lxxij. annorum, ego numero inter principalia dona, nam si passus es aduersa, iam euasisti: si bona iam possedisti in tuto sunt habuisse, ac memoria iucunda. Sed quod summum est, & in quo confidere debes manet: Adrastia, immortalis ordo, oculus cuncta comprehendens: Facilius cadent regna quam vt Sapientia decipi possit, Amor non optima velit: desit ve modus iustis præcibus satisfaciendi. Superfuit tria (nam vltio ad Deum pertinet: nimis est illis quod ipse norit) Patrimonij incrementum, profitendi munus, librorum editio. At de patrimonio plus refert vt filij lucrari discant quam quod tu lucraris: ipsi conseruare velint, quam quod tu augeas. Profitendi munus vt ad gloriam pertinet pars est edendorum librorum: vt ad lucrum exercitationis: ergo minus cum sit utroque extremo si duo peragere vales eo non indiges: si vnum tantum vicariâ vicem multa alia gerent: & ambo illa impedit quæ essent meliora. De librorum gloria dicemus illud Zenonis: Tunc secundis ventis nauigauit cum naufragium feci. Perituri omnes erant si pars non deuota fuisset, adeo imperfectè confusi quidam etiam vix inchoati pleni mendis & erroribus. Quid de filiis? an non negligentia

Tim. I.

& licentia perdidisti illos? nunc in tuto non sunt? antea certum imminebat exitum. simile de vita adhuc cuperes, si ea non accidissent, melius quicquam tibi esse non poterat. H. Curæ consueuerunt homines: fieri potest vt repente cadam ob illas susceptas. Fac: Quid habes deterius à detentione vsque nunc? nunquam ægrotasti: vidēs absque perpiciiliis: non ventriculi aut crasij imbecillitate, vel vrigine meiendi, aut vigilia laboras, non in ventre tumor durities. ve. H. vereor ne comperendinatio hæc sit merces abstinentiæ: non in vitam pensio perpetua? Fac: tres fuisse reges maxime curis oppressi, Massinissa spoliatus régno: Mithridates sapius pulsus: qui in prima iuuenta ante vidit pericula regum, quam expertus esset regnum: Deiotarus antea in suspitione, post regno mutilatus, demum rex seruilis: Massinissa propè centesimum vixit: Mithridates nec veneno viam ad mortem aperire potuit: Deiotari annos non facile numerare licuit. Nec minora in fæminis exempla: Terentia repudium Ciceronis, mortem filiarum vnicæ, proscruptionem filij vidit. Ea tamen secundum seculum ingressa est. Pomponia Græcina cum in luctu quadraginta annis perseuerasset à morte Iuliæ Drusi filiarum, vt nil nisi lugubre seu in vestitu seu sermone placeret, grauiter etiam accusata ad decrepitam tamen peruenit ætatem. In causa esse reor quod qui mærote se non conficit plus vtilitatis consequitur ex contemptu voluptatum quæ non sunt honestæ quam iacturæ ex tristitia: maxime cum in omnibus aut timor propriæ mortis auertat hominem sani consilij à quouis mærote: aut contemptus leuare possit: & securitas de aliena pro vindictæ vade accipi possit.

Ergo his intellectis ad interpretationem venio. Prior planè pessimus est, sed fortuitus videri potuit. accesseras enim vt sigillum mutares: apotheca in via erat: quid homini cum vacca? si taurus fuisset magis conueniebat. Nil commune, totum fortuitum & cum ratione ac frequens. Nec verearis quod tibi taurus sit in horoscopo. Neque enim prima detentio vt secunda succederet, vacca tribui potest: non vincula, non iniuria, non tormenta, non mors intentata. Si modo mortem significare potuit? non nisi vitiatorum: vt tanquam illis vincus cogereris in futurum exuere illa. sed verius hoc ad fabulas, & veterum supplicationes, est referendum. Aliud plus habet ponderis: ostij ictus Iudicium Bononiæ peragendum: fenestæ autem Romæ, quod præter consuetudinem agitatatum est, stridulus clatrata sonus non liberandum proffus decuit: verum discessurum ex ea vrbe deserturumque nonam quam tibi elegeras patriam, gloriosam quæ futuram peregrinationem indicat. De secunda detentione periculum nullum, nam prodigium hoc non ab initio sed à liberatione, aut paulo ante conueniebat. Exitus etiam pro fenestra clatrata atium fugæ respondet. Ergo de operibus prodibunt, & castigata & multo meliora quam si hæc non accidissent; alioquin ruitura. H. Igitur non quod nocerint sed quod nocere voluerint, odio habendi sunt.

HHh 2 Fac

Fac : Sed his aded prauis quæ felicitas contingere potest ? cum nec viuere quiete, nec quicquam à morte melius sperare possint. Tibi vero multa voluptatis argumenta supersunt. At quo angeris est falsum suppositum quoddam homines aliqui boni fuerint : falleris, omnes eodem modo, Aristides Socrates, Plato, Nafica, Catò minor: sed stimulo quodam (inter multa quæ mente obuersabuntur, iræ, inuidiæ, ambitionis, avaritiæ, incendia ardentis) virtutis pungebantur : cæteri stultitia & imperitia boni : verè boni & iusti à sola diuina gratia, qui longe plus cæteris illi debent quam vt quicquam ipsis debeatur. At tibi cum iam omnia penè quæ ad

apicem pertinent fundamenta ieceris, cura adhibenda est in comparatione pecuniæ, altera in educatione descendendum. Ex quibus tertia sponte oriatur. Summam verò lætitiæ occasiones multæ debent : H. Gratiæ tibi ago Pater, qui me aduersus grauissimas molestias, tamen multa auxilia deprompta docuisti, memoriam mortis propriæ, Palingenesiæ simulachrum : Transitionem ad contrarium profus : seu spoliationem. & corporis cruciatum. Fac : Ergo viue & vale. H. Tami cito abis. Fac : Reuertar ad ad te aliquando. H. Id mihi iucundissimum erit. Sed vbi filius meus? Fac: Hic præsens est. Bene est, & tu vale.

FINIS.

